# DE
# TRAUMATICA ARTICULI GENU INFLAMMATIONE, EIUSQUE DECURSU ET THERAPIA.

---

## DISSERTATIO
## INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

GRYPHICA

UT SUMMI

IN MEDICINA

CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVIII. MENSIS MAII ANNI MDCCCLXI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**JACOBUS ROBERZ,**

RHENANUS.

1861

---

OPPONENTIBUS:

**M. MICHELSEN**, CAND. MED.

**A. RESCHOP**, STUD. MED.

**O. BRAEHMER**, STUD. MED.

---

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

HASCE PAGELLAS

PIETATIS GRATIQUE ANIMI

DOCUMENTUM ESSE VULT

AUCTOR.

Traumaticam articuli inflammationem eam appellamus, quae aliqua externa vi articulo illata orta est. Quod quum minoris articuli inflammatio utique pro morbo exitioso habenda sit, idem multo magis de articulo genu contendamus, necesse est. Etenim hic articulus ceteros omnes magnitudine antecedit, et si quis inflammatione ejus corripitur, propter superficies articulares longe extentas ossium vicinorum, magnae articuli capsulae, quae aliquantum anterioris et posterioris femoris superficiei obtinet, propter complicatum apparatum ligamentosum, qui partim articulo circumdatus epiphyses amplectitur, partim in ipso articulo inest, nec non propter prolatas tabulas cartilagineas articularium terminorum epiphyses obtegentes — quibus purulentatione articuli, si quidem ab inflammatione articuli profecta est, absumptis ossium superficies longe propagatae una cum immensa puris formatione granulant — certissime in vitae discrimen vocatur. Quae magna articuli genu inflammationis pericula in universum significans id ante omnia propositum habeo disserere, quemadmodum illa pericula tractatione, quae nostris temporibus optimam se in certo vulnerum genu articuli genere praestiterit, prospere propulsata sint, non solum vita aegroti servata, sed etiam fractura laesae extremitatis sanata ita, ut re narrata illi tractationi acutae

articuli genu inflammationis, ex vulneratione infra accuratius describenda ortae, palma tribuenda videatur.

In vulneratione articuli genu, quam inflammatio sequitur, partes articulum circumjacentes aut cohaerent, aut articulus per vim ipsam vulnere penetranti patefactus est. In illo vulnerationis genere seu contusione seu concussione effecto, inflammatio, quum vis magna fuit et ubique in articulum proruit, aut omnes articuli partes eodem tempore, eadem vehementia eodemque spatio corripit, aut, quum satis magna vis superficiei minoris voluminis allata fuit, eandem primam occupat et ab hoc certo articuli loco in reliquas articulum formantes partes recta via non item vulneratione tactas, expanditur. Per hoc vulnerum genu, quum ante inflammationem longius progressam medico curandum traditur, prosperrimam prognosin statuere licet, quum fieri possit, ut articulo stabilito tractatione idonea inflammatio jam praesens quidem sed non longe extenta reprimatur. Aliter se res habet, quum universas articuli partes eadem vis aequaliter infestavit. Tum inflammatio vehementissima totum articuli ambitum possidet, quae, cum tumore, vivido rubore, summis doloribus, acerrimis motibus febriculosis conjuncta, viribus et valetudini aegroti generali iniquissima, articuli purulentationem et propter circulationem turbatam laesae extremitatis partis periphericae gangraenam efficere potest. Varius rursus eorum casuum est cursus, in quibus inflammatio ex perforante articuli vulnere nascitur. Quod quum ii casus, in quibus una cum vulnere inguina circum articulum sita vel propinqua ossa ubique fere laesa sunt, inter periculosissimos numerandi sint, jam aperturam articuli vel exiguo vulnere effectam generalis inflammatio et purulentatio sequi potest. Etenim quum primum aër ad capsulam articuli penetravit, tractationi antiphlogisticae plerumque auxilium non jam afferre licet, quo inflammatio, antequam pus formare coeperit, reprimatur, potius tum illa tractatione id modo agimus, ut vehe-

mentiam inflammationis minuamus vitamque et sauciam extremitatem, quamquam cum detrimento mobilitatis articuli, conservemus. Quum extremitas, si ejusmodi vulnus articulare inguinibus latius deletis complicatum est, servari nequeat, amputatione medii femoris uti necesse est: eamque quam celerrime vel certe ante aggrediamur oportet, quam pars extremitatis infra vulnus articulare et diruta inguina sita gangraena infecta et vires aegroti purulentatione articuli dolore, vehementi febri nimis exhaustae sint. Quamquam primis utique diebus amputationem exsequi non licet, quum vehementia et inflammationis et febris omnem spem prosperi eventus destituere soleat. Ex talibus vulneribus articularibus ea discernenda sunt, in quibus finitimae ossium partes violatae sunt. Quae si vulnera lata inguinum in ambitu articuli genu deletione complicata sunt, amputatio eadem, quae in casu supra memorato, salutaris est; non item, quum sulci quidem articulum continentes in epiphysibus sauciati, inguina vero minore ex parte deleta sunt. Tum ambigi potest, utrum amputatio an resectio instituenda sit, quum, quantum adhuc experientia cognovimus, dubium est, sitne in amputatione femoris an in resectione in articulo genu plus periculi. Ut resectionem eligamus servanda extremitas suadet, contra amputatione sanandi spatium brevius, purulentatio minor, tractatio insequens simplicior redditur quam resectione. Praeterea resectio in articulo genu hoc habet incommodum, quod felicissimis tantum in casibus ancylosis in genu efficitur, quum facillime os pendulum eveniat, quod sine ullo dubio minus utile quam truncus est femoris amputatione effectus. In quoquo igitur casu, viribus aegroti, qualitate vulneris iisque remediis, quae ad tractationem diuturnam insequentem opus sunt, accurate observatis ac deliberatis operatio suscipienda est.

Omnium casuum acutae genu arthrophlogoseos adhuc memoratorum, non in animo mihi est, cursum atque the

rapiam accuratius describere, sed de illis sum disserturus, qui aut modica contusione sine deletione inguinum aut exiguo vulnere penetrante sine lata inguinum laesione orti sunt. Ex illius modi inflammationibus in nostro nosocomio casum rarissimum observavi ac perutilem ad cognoscendum, propterea quod aegrotus jam tribus mensibus circumactis sanatus dimitti potuit. Huc accessit, quod tam prospere curatus erat, ut facile os sponte et flectere et extendere posset: nec non praeclarus articuli status spem praebuit fore, ut exercitatione normalis utilitas restitueretur. De genu arthrophlogoseos altero genere tres casus cognovi, in quibus aegroti item prorsus convaluerunt, iisque ad exitum perductis anyklosis in articulo genu remansit.

Quemadmodum vero his in morbis tam felix cursus evaserit ac therapia, sequentibus historiis exponam.

## Morbi historia prima.

Paulus Drabik, muscipularum mercator, viginti septem annos natus, fidei catholicae addictus, natione Hungarus, postremo tempore circumvagus, die XXVII. m. Decembr. anni MDCCCLX in nosocomium chirurgicum receptus est. Aegrotus, qui a prima juventute bona valetudine usus erat, in calamitatem praesentem hocce casu inciderat. Quum die XVI. m. Decembr. scapha flumen quoddam superasset, in terram egressurus in dextrum genu prolapsus erat, ita ut genu contra marginem navigii contusum omne corporis pondus tolerandum haberet. Biduo quidem postea sine baculo ambulare poterat, ita tamen ut dolor in articulo laeso pedetentim cresceret: proximo post vulnerationem die pedestre dimidii milliarii iter fecit, nec minus altero die. Tertium diem quieti dedit, quarto baculo ac fulcro nixus duo milliaria pedibus emensus est. Inde ab eo tempore plerumque quiete jacuit paula-

timque progrediens curru vectus est, sed ne ita quidem, ut articulus aegrotus a vi frigoris satis esset munitus.

Aegrotus mediocri corporis statura, gracili habitu ac satis bene nutritus est. Axillam sinistram fulcro, manum dextram baculo fulciens, vacillans cum labore ac molestia ingreditur et, doloris vim nonnunquam voce significans, dextrum pedem caute promovet, articulo genu ejusdem extremitatis inferioris minime flexo. Accuratiore deinde inquisitione instituta ostenduntur articuli genu dextri tumor, adstricta, longe producta articuli capsulae cutisque in circuitu articuli extensio, vividus in toto ejus superficie anteriore rubor, qui in lateribus paulatim poplitem versus dilabitur et sursum versus palmaris supra marginem patellae cognoscitur, dum deorsum versus vix tres digitos latus ab inferiori patellae margine conspicuus est. Quum propinquae articulo partes premuntur, in tota anteriori genu superficie dolores excitantur, qui ad latera versus abeunt, dum poples pressu non dolet. Supra patellam tumor fluctuans spectatur (superior recessus), qui totam partem anteriorem dimidii femoris inferioris occupat. Gravibus doloribus et spontaneis et pressu effectis aegrotus laborat, qui leves articuli genu flexiones item haud sine magno dolore perficit.

Die XXVII. m. Decembr. Pulsus 140. Temperatura 39,9°c. Temperatura in exteriore parte aegroti genu 38,3°, sani genu 36,3°c. Aegrotus in ferula metallica, quae a Bonnet nomen ducit, ponitur. Viginti quatuor hirudines regioni articuli genu, imprimis superiori recessui applicantur, dein bulla glacie completa superimponitur.

XXVIII. XII. Mane. Aegrotus per noctem satis bene sese habuit, neque dolores in genu queritur, qui imprimente aliquo in regionem articuli genu et in superiorem recessum, illico proveniunt. Extensio articuli genu capsulae adaucta est, finis superioris recessus digitum fere unum in latitudinem crevit. Nec non in su-

periori patellae dimidio tumor fluctuat, qui cum superioris recessus tumore cohaeret. Appetitus satis bonus. P. 84. T. 38,5.

XXVIII. XII. Vesp. In fine superioris recessus propter dolores, qui hoc loco exsistunt, duodecim hirudines applicantur.

XXIX. XII. M. Somnus bonus. Spontanei dolores nulli. P. 88. T. 37,7. Appetitus minor.

XXIX. XII. V. P. 80.

XXX. XII. M. Nox insomnis. Magna infirmitas. Leves dolores. P. 88. T. 38.

XXX. XII. Vesp. Aegrotum leve frigus adit, qui jam in intinere se frigoris impetibus identidem laborasse narrat. P. 76. T. 39,7. Semihora post frigus P. 96. Tumor articuli genu itemque ambitus superioris recessus creverunt. Fluctuatio in omnibus partibus patellae, itemque supra perspicua et superficialis. XI. hirudines in loco maxime dolente. (Medio femore).

XXXI. XII. M. Somnus optimus, nullus in genu dolor. P. 88. T. 38,5. Status articulationis idem qui heri. Vesp. P. 88.

MDCCCLXI. I. I. M. Tumor fluctuans supra patellam medium femur transgressus est. Et ante patellam personans fluctuatio. (Porrigitur igitur magnum cavum humore expletum ab articulo genu super medium femur supraque patellam deorsum versus ad inferiorem partem). P. 88. T. 38,2. Vesp. Appetitus satis bonus. Dolores exigui. Aegrotus perspicue emacrescit et in dies languidior fit. P. 88. T. 39,7.

II. I. M. Valetudo satis bona. P. 76. T. 38,3. Appetitus crescit. Aegrotus praeter „tertiam formam" panem similagineum postulat. Interdum dolor pulsans in regione superioris recessus. Vesp. P. 92. T. 39,7.

III. I. M. P. 72. T. 37,9. Vesp. P. 84. T. 39. Ceterum valetudo, quae heri.

IV. I. M. P. 84. Vesp. Leve frigus. P. 96. T. 39,5.

V. I. M. Valetudo aegroti perpetuo bona, dolores in articulo genu levissimi, pressione tantum acriores redduntur vel levis articulationis flexus vehementiores dolores non commovet, ita ut aegrotus in mutandis ferulis ipse os exponere et imponere queat, paululum modo manu dextra fultus. Capsula articuli genu superiorque recessus continue quidem sed lente humore impleri perrexerunt. Fluctuatio fit clarior magisque superficialis ut ruptio timenda sit.

V. I. Vesp. P. 96. T. 39,7.

VI. I. M. P. 80. T. 38. Vesp. P. 96. T. 38,9.

Eadem quae heri valetudo.

VII. I. M. In exteriore articuli genu parte, quae fere patellae exteriori margini respondet, in duobus locis cutis maxime tenuata est et fluctuatio valde superficialis. Vesperi hi loci bis scalpello punguntur, quoniam brevissimo temporis puncto ruptio spontanea imminebat. Duo circiter quadrantes puris satis diluti, haud male olentis exstillant. Illico tumores in anteriore parte inferiorum femoris duarum tertiarum (recessu superiore) et in propinquitate articuli genu collabuntur. Aegrotus summopere se levatum sentit. Post exsiccationem fasciarum Sculteticarum, quae vocantur, vinctura compressiva instituitur. P. 80.

VIII. I. M. P. 100. T. 37,9. Bonus somnus, itemque appetitus. In universum bene se habet. Per noctem magna puris copia per fascias penetravit. Aegrotus in balneo (Vollbad) collocatur, ubi abscessum articuli premendo exsiccat. In balneo complures horas remanet. Eadem quae heri vinctura.

VIII. I. V. P. 92. T. 38,3.

IX. I. M. Bona aegroti valetudo. P. 96. Aegrotus iterum balneo utitur, quo aliquantum puris ex articulo exhauritur. Vesp. P. 96. T. 40,1. Appetitus decrescit.

X. I. M. P. 84. T. 40,2. Aegrotus se maxime remissum ac languidum sentit, maciemque postremo tempore

crevisse manifestum est. Ad corpus recreandum atque corroborandum sicerae haustus vinumque Hungaricum praecipiuntur. Appetitus exiguus.

X. I. V. P. 88. T. 38,2. Meridie, multo bono pure excreto, aegroto vinctura gypsea fenestrata imponitur.

XI. I. M. P. 96. T. 39,25. Nox insomnis. Appetitus modicus. Magna remissio ac macies. Mane balneum.

XI. I. Vesp. P. 88. T. 38.

XII. I. M. P. 96. Aegrotus dolorem in manu sinistra ac cubiti articulo, praesertim quum moveantur, queritur. Valetudo paulo melior, quam heri. Appetitus augetur. Dimidium diei in balneo versatur, nec larga puris excretio deest.

XII. I. V. P. 80. Aegrotus hodie primum septem horarum balneum pertulit neque aegritudinem questus est, quum antea utique propter magnam lassitudinem primo statim introitu balneo excedere voluerit.

XIII. I. M. P. 100. Bona valetudo. Vesp. P. 84. Purulentia articuli genu nondum desiit, appetitus major.

XIV. I. M. P. 130 (in balneo). Valetudo bona. V. P. 88. T. 38,2. Aegrotus ultimis diebus ab hora octava matutina ad horam alteram pomeridianam in balneo versatus est.

XV. I. M. P. 92. V. P. 76. T. 37,7.

XVI. I. M. P. 112. V. P. 84. T. 37,2. Prior vinctura nimis et tenuata passim et laxata est, quum praesertim in inferiore femoris parte volumen magnopere deminutum sit. Purulentia, adhuc larga quidem, in dies magis decrescit. Virium aegroti incrementum perspicuum. Recens vinctura gypsea, fenestra in anteriore genu parte instructa, aegroto applicatur.

XVII. I. M. P. 100. Aegrotus bene se habet. V. P. 104. T. 39,1.

XVIII. I. M. Modicus in articulum genu pressus dolores non jam commovet. V. P. 80. T. 37,6.

XIX. M. P. 80. Continua aegroti bona valetudo.

Bono appetitu usuque mixturae ferrugineae nec non vini Hungarici vires augescunt, purulentia dilabitur.

XX. I. M. P. 96 (in balneo). Nocte hodieque mane novem exonorationes alvi diarrhoicae cum doloribus colicis conjunctae post triduanam obstructionem. Quindecim guttae Tincturae opii simplicis offeruntur. Vesp. P. 76. T. 38. Diarrhoeae permanent. ℞ Tinct. Opii simpl. gtt. XX.

XXI. I. M. P. 82. Nocte iterum diarrhoea laborat, quamquam in universum perpetuo bene valet. ℞ Tinct. Op. spl. gtt. XX. V. P. 80. T. 37. Nulla diarrhoea.

XXII. I. M. P. 84. Nocte vehemens diarrhoea ℞ Tinct. Op. simpl. gtt. XXV. V. P. 56. T 36,7 Nulla diarrhoea. Bona valetudo.

XXIII. I. M. P. 72. T. 37,3.

XXIV. I. M. P. 82. V. T. 36,4.

Ex ostiis incisionum in parte patellae exteriore ultimis diebus pus rarissime profluxit. Specillo tantum mediocris voluminis transitum praebent. Articuli tumor denuo summopere minutus est, ut vinculum gypseum nimis largum sit: restat tamen ad soliditatem retinendam.

XXV. I. M. P. 56. V. P. 64. Postquam articulus genu patefactus est, aegrotus quotidie sex fere horas in balneis degit. A die hodierno balnea intermittuntur.

XXVI. I. M. P. 84. Incisiones articuli genu prorsus clausae ac sanatae sunt. V. P. 60.

XXVII. I. M. et V. P. 64. Bona valetudo.

XXVIII. I. M. P. 64. V. P. 72.

XXIX. I. M. et V. P. 72. Status optimus, nec non macies postremo tempore melius cessit, ut jam multo amplioris corporis esse videatur, quam quo tempore receptus est. Nimia vinctura gypsea deposita extremitas saucia in pulvino solo paleato innititur.

XXX. I. M. P. 88. Inquisitione articuli in utraque patellae parte fluctuationes etiam deteguntur, quae in exteriore parte quattuor digitos supra patellam eminent. Loci fluctuantes interioris atque exterioris patellae partis

cohaerere non videntur. (Saccum synovialem ergo intergerium in articuli capsula nuper formatum in duas cavernas divisisse oportet.) Patella mobilis est. Leves articuli genu flexus aegrotus sine doloribus exsequitur. Adhibetur, quod dicitur „Probetroicart“, quo loci fluctuantes in utraque patellae parte aperiuntur humorque serosus effluit, qui circiter ℥iß in exteriore et ℥j in interiore parte continet. Quo facto punctionum ostia emplastro anglico et collodio clauduntur.

XXX. I. V. P. 64.

XXXI. I. M. P. 72. V. P. 60.

I. II. M. et V. P. 68.

II. II. M. et V. P. 72. Continuo status optimus.

III. II. M. P. 80. Aegrotus, qui nunc genu articulum fere ad 125° flectere potest, idque sine ullo dolore, unguentum ut sibi praebeatur exoptat, quo genu mollire possit. Datur Liniment. volatile. Ferula ex charta glutinata posteriori articuli genu parti imposita, aegrotus primum duas horas fulcris innixus circumambulat.

VI. II. Quotidie a diluculo ad crepusculum fulcris instructus ambulat, optimeque valet.

IX. II. Hodie primum ferula ex charta glutinata uti supersedit. Mox vero, quum haud ita tuto incederet, denuo ferulam femori circumdedit.

XIII. II. Satis celeriter ac tuto sine fulcris ambulat.

XXV. II. Dimittitur, quum flagitaverit. Ultimo demum tempore continuo sine fulcris, sed ferula instructus, ambulavit.

Articulus genu prope ad angulum rectum flecti potest. Ambitus articuli genu osse extenso ex mensura observatur, in parte saucia:

si metimur ex transverso patellam: 37°.
„ „ summam patellam: $36\frac{1}{2}$°.
„ „ infimam patellam: $33\frac{1}{2}$°.

In parte salva:

si metimur ex transverso patellam 35°.
„ „ summam patellam: 34°.
„ „ infimam patellam: 32°.

## Historia morbi secunda.

Theodorus Ewert, operarius, viginti duos annos natus die sexto m. Nov. anni MDCCCLX in clinicum chirurgicum receptus est. Aegrotus priori aetate saepe febri frigida laboravit et anno praeterito inflammationem pulmonum, quo morbo fuerat implicitus, superavit. Prima juventute multifariam se aegrotasse confitetur. Vulnere penetrante articuli genu pridie calend. Nov. affectus est. Quum in straminibus concidendis occupatus esset, cultrum machinae, modo cote acutum, paxillo ad id instituto acclinavit, ut stramentum jam concisum de medio tolleret. Interea autem, nescio quo casu, culter in genu viri delabitur. Is qui erectus adstabat, cultro partim in imo vulnere jacente partim ad superficiem ossis lateralem adnixo, sublato, illico vulnus aqua frigida refrigeravit. Vulnus magnam sanguinis copiam misit et ne vinculo quidem in volucrisque frigidis impositis haemorrhagia substitit, quoad medicus, tribus horis postea accessitus, vulnus quattuor suturis clausit, frigidaque cataplasmata adhibenda praecepit. Suturae ad quintum Nov. diem, ad matutinum ergo tempus sexti diei manserunt, quibus remotis novem hirudines juxta interiorem vulneris marginem applicatae sunt et in cataplasmatis frigidis imponendis perrectum est. Post vulnerationem aegrotus perpetuo lecto affixus erat. Sexto huj. m. die huc curru via unius milliarii et quadrantis avectus est.

Aegrotus est mediae magnitudinis, quadratae staturae, ceterum bene nutritus. Infra exteriorem superiorem patellae marginem vulnus in longitudinem digitum patens reperitur, quod aeque fere continuo ab superiore exteriore patellae margine distans, ab imo extrinsecusque sursum introrsumque spectat.

Genu articulus tumet. Vulnus dolore rhythmice redeunte vexatur.

| Mensura: | argrot. | salv. |
|---|---|---|
| supra patellam: | 37° — | 34° |
| supra recessum superiorem: | 36° — | 32½° |
| infra patellam: | 34° — | 29°. |

VI. XI. Os statim in lamina Bonnetica locatum, de vulnere paullum sanguinis inhaerentis sicci abstersum est, frigida cataplasmata continuata sunt.

VII. XI. P. 60. Aegrotus prorsus bene se habet. Levis dolor rhythmice rediens in vulnere jam deest. Continua frigida cataplasmata. VIII. XI. Nulli dolores. XI. XI. P. 56. Vulnus sine ullo dolore. Cataplasmata quae antea continua. Valetudo generalis bona. XIII. XI. Mane. P. 72. Aogrotus ab hora quarta et semisse vix tolerabilem ex vulnere dolorem capit. ℞ Morph. acet. gr. ¼. Octo hirudines in circuitu vulneris, paullo post duodecim iisdem in locis. — Vesp. P. 80. Respirationis frequentia 32. T. 40. Aegrotus optima valetudine utitur, iterum viginti hirudinibus in interiore inferiore superioreque vulneris ambitu applicatis aegrotus ab acribus doloribus liber est. Interdum modo dolorem palpitantem pungentem sentit. Propter appetitus defectionem meridie non coenavit. Continuo frigida cataplasmata adhibentur, nec non bulla glacie impleta. XIV. XI. M. P. 84. T. 39,4. Dolores, duodecim hirudinibus mitigati, haud ita multo post crescunt. Hirudinibus quarta vesperi hora et semissi applicitis, haemorrhagia duabus demum horis post substitit, prioresque dolores sub octavam horam reverterunt. Semihora fere post iterum octo hirudines regioni articuli genu applicatae. Anhelitus propter palpitantem dolorem saepe tunsi ac breves. Propter vehementes dolores per totam noctem nullus somnus. Sub lucem hor. 2—5½ somnus. Aegrotus languidissimus. Nullus appetitus. XIV. XI. V. P. 88. T. 39,8. Nullus appetitus. Dolores satis vehementes. Sex hirudines in anteriore articuli genu superficie. Ad hoc tempus XLVI omnino hirudines applicatae sunt. XV. XI. M. Somnus

hor. 2—5. Appetitus abest. Postquam postremo hirudines adhibitae sunt, levis dolor. Aliquantulum quidem debilitatis, tamen valetudo generalis melior. Vesp. P. 88. T. 39,5. Octo hirudines in anteriore articuli superficie. Dolor antea acerrimus paullulum minutus. Nullus appetitus. Vehemens sitis. XVI. XI. M. P. 80. T. 39,4. Dolor in articulo saucio magnus. Appetitus exiguus. Somnus per totam noctem fere continuus. Magna lassitudo. Vesp. P. 82. Levis in articulo dolor. Infra patellam etiam nonnulli dolores, qui modica pressione adaugentur. Mixtura ferruginea praebetur. Aegrotus post XI. m. diem alvum non exoneravit. XVII. XI. M. P. 84. Nocte duas omnino horas dormivit. Lenis dolor. Appetitus tenuis. Dantur Pilul. aloët. No. II. Vesp. P. 92. Dolor in vulnere lenis. Aegrotus bis defaecavit. XVIII. XI. M. P. 80. Heri hor. $11\frac{1}{2}$ summus in articulo genu dolor exstitit. ℞ Morph. acet. gr. $\frac{1}{4}$. Octo hirudines in inferiore exteriore articuli parte haud ita multo post lenior dolor. Nocte somnus duarum horarum. Vesp. In genu dolor satis exiguus, appetitus paullo melior. XIX. XI. M. P. 84. Levis in articulo dolor et per noctem paullum somni. Appetitus paullo major. Vesp. P. 76. Sub quartam hor. pomeridianam iterum major in articulo genu dolor. Octo hirudines. — Adhuc LXXII omnino hirudines applicatae sunt. — Appetitus sufficiens. XX. XI. M. P. 80. Paullum somni. Magnus dolor in articulo saucio. Vesp. P. 112. Aegrotus tolerabili valetudine utitur nec ex articulo genu in situ tranquillo dolores accipit.

℞ Tinct. Ferr. acet. aeth. ʒiβ
Muc. Gumm. arab.
Syr. spl. āā ℥β
Aqu. comm. ℥vj.
MDS. binis horis cochlear unum.

V. Hodie aegroto articulo genu vinculum gypseum circumdatum est, quod paullulum etiam super femur et crus porrigitur. ℞ Morph. acet. gr. $\frac{1}{4}$. XXI. XI. M.

P. 104. Inquietus somnus nocturnus. Nullus dolor. Vesp. P. 100. Nullus dolor.

XXII. XI. M. Nullus dolor. Nullus somnus nocturnus. Exiguus appetitus. Vesp. P. 92. Nullus dolor. Nullus appetitus. XXIII. XI. M. P. 96. Nullus somnus nocturnus. Genu haud magnopere dolet. Summa lassitudine aegrotus tenetur. Vesp. P. 80. Exiguus in genu dolor. Dolor in osse sacro. XXIV. XI. Vesp. P. 88. Ceterum nihil mutatum. XXV. XI. M. P. 92. Nocte dormivit. Nulli in genu dolores. XXVI. XI. Vesp. Hodie vinctura gypsea deposita, duo loci purulenti in conspectum venerunt. Quorum alter, thaleri fere magnitudine, in superficie inferiore interiore patellae margine pure fluctuabat, quo loco pleraeque hirudinum punctiones videbantur. Alter, qui fere digitum et semissem in longitudinem patebat luxuriosis granulationibus opertus, vulnus ad superiorem exteriorem patellae marginem circumjacebat. Ceterum cutis circum articulum genu nec inflammatione nec rubore affecta fuit. Recens et nunc quidem non fenestrata vinctura gypsea induitur. XXVII. XI. P. 104. Aegrotus hodie primum omnes cibos meridie oblatos consumsit. Minimus in genu dolor. Valetudo generalis optima. Postulat ut plus cibi quam vulgo sibi praebeatur. (III. forma). XXVIII. XI. M. P. 92. Nullus dolor noctu. Nullus somnus. Bene se habet. Vesp. P. 104. In situ tranquillo nulli genu dolores. Meridie iterum omnia absumsit. (III. forma). XXIX. XI. M. P. 108. Idem aegroti appetitus, qui ante morbum, rediit. Vesp. P. 108. XXX. XI. P. 96.

II. XII. P. 96. Valetudo generalis bona. III. XII. P. 108. IV. XII. P. 100. Exiguus somnus nocturnus. Valetudo generalis bona. V. XII. P. 92. VI. XII. Pristina defecta vinctura deposita, recens vinculum gypseum instituitur. Vulneris margines corroduntur argento nitrico. P. 80. VII. XII. Praeclara valetudine utitur. VIII. XII. P. 96. Valetudo generalis bona.

IX. XII. Fulcris nixus primum ambulat. Vetitus tamen est sinistro pede insistere. X. XII. Satis magnum oedema in sinistro pede observatur, juxta pedis articulum atque crus infra gypseum vinculum pertinens. Aegrotus, heri quattuor horas extra lectum moratus, nonnunquam fulcris adjutus incessit. Pomeridano hujus diei tempore item dodrantem horae se lecto abstinuit. XI. XII. Locus cruris oedematosus fascia pannorum laneorum involvitur. XIII. XII. Valetudo generalis bona. XIV. XII. Hodie circiter hor. II. fulcris usus, gypseoque vinculo instructus circumambulavit. XV. XII. Hodie hor. $2\frac{1}{2}$ cum fulcris ambulavit. Quum surrexisset, oedema in pede sauciae inferioris extremitatis conspectum est. XVII. XII. Bene se habet et quotidie singulas per horas fulcris innixus ambulat. Hodie in loco vulneris vinculo gypseo fenestra indita est. Vulneris margines subtumiduli ac vehementer granulantes argento nitrico corroduntur. XX. XII. Valetudo generalis bona. Vulneris margines Kali chlorico corroduntur. Unguenti basilic. imponitur, filis linteis illitum. XXII. XII. Valetudo generalis bona. Iterum margines argentokali nitrico corrosi. XXIII. XII. P. 80. Generalis bona valetudo. XXVII. XII. Aegrotus, qui bene se habet, decima hora matutina surgit. Die cum fulcris ambulat, vespertina demum hora decima cubitum it. Remansit oedema in pede laesae extremitatis.

MDCCCLXI. III. I. Vinculum gypseum depositum. Vulnus cicatricem duxit. Os fascia laneorum pannorum involvitur. X. I. Angina tonsillaris. Magnopere tonsillae tumuerunt.

℞. Acid. hydrochl. ℈j/℥vj

MDS. Ternis horis cochlear unum. XXI. I. V. Argento nitrico in faucibus cauterizatur. XXIII. I. M. Anginae molestiae nec non tumor dilabuntur. I. II. Angina cum symptomatis non jam adest. XI. II. Os aegrotum in statu extenso ankyloticum factum est. Tamen ossea

cruris ac femoris ancylosis non provenit, quippe quum crus, non quidem sine doloribus aegroti, paullulum flecti patellaque huc illucve transferri queat. Volumen aegroti articuli genu multo majus adhuc quam salvi. Levis quoque tumor oedematosus, quum in crure tum in regione articuli pedis cognosci potest. Homo corroboratis viribus ac bene nutritus dimittitur.

## Historia morbi tertia.

Henricus Glawe, mercenarius, triginta annorum, calend. Jan. a. MDCCCLXI in nosocomium receptus est. Valetudo aegroti nunquam morbo fuerat perturbata, donec ante septem annos cum fistula dentali conflictandum fuit. Quem morbum per complures hebdomades vehemens odontalgia antecesserat: fistula septem hebdomadibus intermissis incisione facta funditus sanata est. Eo loco, qui tum incidendo vulneratus fuerat, nunc cicatrix spectatur. Triennio ante quattuordecim dies Glawe cum inflammatione rheumatica per totum femur dexterum pertinente luctabatur: dolores quum alibi tum in poplite aegroti dextri ossis vehementissimi eum vexaverunt. Parco autem ossis usu, tranquillo situ oblitisque unguentis dolores sensim decesserunt, ut homo, postquam convaluit, dextero pede haud minus bene quam ante morbum uteretur. Morbum articuli genu dextri debet sui, qui eum mactaturum morsu vulneravit. Etsi is casus sub sextam horam matutinam accidit, ad duodecimam tamen meridianam in duobus deinceps suibus mactandis occupatus incesserat. Paucis post morsum horis praeter aliquantulum sanguinis paullum flavi humoris lente ex vulnere emanavit. Medicus accitus triginta fere horis post vulnerationem advenit, et quinas utrique patellae lateri applicandas hirudines atque cataplasmata polentaria praecepit. Alter medicus, qui postridie supervenit, bis specillo fere digitum

longe in profundum vulneris ingesto, cataplasmata aquae plumbeae praecepit. Tertio postea die calend. Januar. aegrotus traha huc adductus et in nosocomium receptus est.

Homo est mediae staturae, haud male nutritus. Articulus genu dexteri habet curvaturam prope rectangulam. Articulus genu maxime intumuit, cutis prope ad articulum adstricta vivide erubuit, patella non jam foveis lateralibus terminata est. Parvum vulnus, unum digitum ab inferiori patellae margine remotum invenitur, cujus in parte exteriore tumor fluctuans, in latitudinem ac longitudinem unum digitum patens paullulum modo eminet. Extremitas sauciata, quamvis leniter tacta, vehementissimos dolores affert. — Cicatrix digitum longa infra maxillam inferiorem dextrorsum videtur.

I. I. P. 116. T. 39,8. Illico extremitas aegrota in lamina Bonnetica locatur, prope genu pulvino paleato in altius erecta, quo genu etiam in lamina situm obtusi anguli retineat. Quo facto articulus genu XXIV hirudinibus operitur, bulla glacie expleta superimponitur Aegrotus sumit Morph. acet. gr. 1/4.

II. I. P. 108. M. T. 39,9. Nonnullus somnus nocturnus. Exiguus appetitus. Magna sitis. Tumor articuli adhuc idem, dolores tamen summopere remiserunt, aegrotus levatum se sentit. II. I. V. P. 124. T. 39,5. Appetitus modicus. III. I. M. P. 100. T. 39,3. Vesperi dolores in genu crescunt. ℞ Morph. acet. gr. 1/4. IV. I. M. P. 96. Dolores desierunt. Nocte paullulum dormivit. Tumor idem: rubor vero abiit. Os ex lamina expeditum, eadem, postquam purgata est, denuo impeditur et ita quidem, ut magis extentum jaceat. Vesp. P. 104. T. 39,4. Bona valetudo. V. I. M. P. 100. T. 38,9. Vesp. P. 116. T. 39,4. Dolor in articulo genu et in crure lateris laesi acrior. ℞ Morph. acet. gr. 1/4. VI. I. M. P. 96. T. 38,7. Nonnullus somnus nocturnus. Cujuslibet appetitus defectio. Magni dolores in saucio osse. Summa lassitudo. Aegrotus palluit et evanuit. VI. I. V. P. 100. T. 39,1.

VII. I. M. P. 104. T. 39,1. Nullus somnus. Generalis valetudo melior. Dolores in situ tranquillo mediocres. Tumor articuli adhuc magnus. Oedema in crure et pede. Appetitus deest. Vesp. Aegroto chloroformio sopito, os extenditur et vinculum gypseum imponitur, quod a digitis pedis usque ad superius femur pertinet: vinculo magna fenestra in propinquitate articuli genu adjicitur. Tum iterum bulla glaciei super articulum genu suspenditur. VIII. I. M. P. 88. Valetudo bona. Magna lassitudo. Vesp. P. 100. T. 40,2. IX. I. P. 100. T. 39,7. Summa infirmitas. Appetitus minimus. Dolores modici. Dormiens saepe cohorruit. X. I. P. 100. T. 39,7. Aegrotus, hodie primum cum vinculo gypseo in balneum latus, idem horis $^1/_2$9—$^1/_2$1 perpetitur. Parvum vulnus in inferiore et interiore articuli genu latere a tribus demum diebus superioribus majorem solidi puris copiam secernit, quum initio humor tantum paullulum seroso purulentus profluxerit. Premendo articulo genu secretio amplificatur. Non solum in crure lateris aegroti, sed etiam in posterioribus femoris ac trunci lateribus oedemata maxima inveniuntur. Cutis super os sacrum est excoriata et prope excoriationes rubra. Aegrotus in pulvino gummeo collocatur, in quo madidus pannus laneus expansus est. ℞ Mixt. ferrug. Vesp. P. 100. Magna lassitudo, dolores colici. Ab hora tertia pomeridiana ad vespertinam octavam tres diarrhoicae defaecationes. Nullus appetitus. ℞ Tinct. Opii simpl. gtt. XXV. — XII. I. M. P. 100. Balneum hor. $^1/_2$9—$^1/_2$1. Appetitus defectio. Vesp. P. 96. T. 39,2. Hodie semel alvum exoneravit, appetitus revertit, ut plurimum cibi meridiani absumat. Ad animum aegroti adhuc tristem ac depressum erigendum et recreandum hodierna hominis consanguinei salutatio plurimum contulisse videtur: laetus atque hilaris est. XIII. I. P. (in balneo) 96. Nonnullus nocturnus somnus. Diarrhoea a vespere hesterno. ℞ Tinct. Opii simpl. gtt. XXV. Vesp. P. 92. T. 38,6. Generalis valetudo satis bona, itemque appeti-

tus. Secretio puris ex vulnere augetur. Pus est bonae qualitatis. Margines vulneris granulationibus oedematosis magnopere prominentibus circumdati sunt. XIV. I. M. P. 92. T. 38,1. Quotidie complures horas in balneo versatur. XV. I. P. 100. Somnus satis bonus. Item appetitus. Nocte hodieque mane tres exonerationes diarrhoicae. ℞ Tinct. Op. simpl. gtt. XXV. Propter diarrhoeam permanentem mixtura ferruginea mutatur:

℞ Liquor. Ferr. sequichlor. gtt. xxxvj
Muc. Gumm. arab. ℥j
Aqu. comm. ℥vj
MDS. Singulis horis cochlear unum.

XV. I. V. P. 88. T. 38,5. Appetitus bonus. Vehemens in articulo genu dolor (ortus eo videtur, quod tam crebro aegrotus in lasanum tollendus fuerat) hodie hor. $8^1/_4$—12 in balneo degit. Diarrhoea perdurat. XVI. I. M. Nocte nulla exoneratio. Bonus somnus. Leves dolores. Bonus appetitus. Vesp. P. 96. T. 38,3. Balneum hor. $^1/_2 9$—$^3/_4 1$. Die duae defaecationes consistentiae pulti similis. Aegrotus pallidissimus et flaccidissimus. Magnum oedema in posteriore trunci parte recessit, contra in dextro femore remansit. Vulnus articuli genu multum puris boni secernere pergit. Tumor articuli genu paullulum deminutus, nam fenestrae margines in vinctura digitum fere ab articulo distant. XVII. I. M. P. 92. Chloroformio adhibito, recens vinculum fenestratum imponitur. Vesp. P. 100. T. 38,4. Gravis in articulo dolor. Idcirco bulla glaciei nocte applicatur et Morph. acet. gr. $^1/_4$ offertur. XVIII. I. N. P. 96. Bonus somnus. Appetitus sufficit. Dolor tolerabilis. Vesp. P. 108. T. 39,4. Appetitus sufficiens. Propter acrem in genu dolorem gtt. XX. Tinct. Opii simpl. Bis defaecavit. XIX. I. M. P. 100. T. 39,2. Appetitus modicus. Vehemens sudor. Dolores in regione sacra et in genu. ℞ Morph. acet. gr. $^1/_4$. XX. I. V. P. 72. T. 38,6. Dolor in genu et regione sacra. Appetitus bonus. XXI. I. M. P. 96. Vesp. P. 92. T. 38,4.

Appetitus modicus. Dexter pes vehementer dolet: ℞ Morph. acet. gr. $^1/_2$. XXII. I. M. P. 88. T. 37,6. Aegrotus perpetuo de doloribus in genu queritur, quos quum rheumatismo prius superato cohaerere ipse exsistimat. Vinculo gypseo deposito hodie in inferiore femoris dimidio ad anteriorem exteriorem partem in profundo fluctuatio ostenditur. Quapropter in medio fere femore itemque in exteriore parte singulae magnae profundaeque incisiones fiunt, iter aperientes ad cavernam purulentam, infra musculos positam et cum capsula articuli genu conjunctam. Articulus genu pressus largum puris profluvium auxit, quod bona qualitate est. Super os sacrum est rotundus defectus circiter duos digitos latus et tertiam digiti partem profundus. Cujus fundus et margines escharis e glauco nigricantibus formantur. Illico rursus vinculum gypseum praeparatum est et in locis vulneris morsu effecti — quod multum puris secernens marginibus maxime oedematosis eminebat — et in locis incisionum fenestrae institutae sunt. Vesp. P. 112. T. 39,2. Nullus appetitus. Dolor in osse paullo mitigatior. XXIII. I. P. 88. T. 38,1. Aliquantum Opii sumptum. Attamen somni nocturni paullulum. Maxima lassitudo. Nullus appetitus. Magni dolores in dextro pede et in regione sacra. XXIII. I. V. P. 112. T. 39,9. Die semel defaecavit. XXIV. I. V. P. 112. T. 38,7. Quum vulnera incisionum inguinibus objectis se clauserint, secundum apparatum a Chassaignac inventum („trainage") catheter, cui medio foramina indita sunt, elasticus perducitur. XXV. I. M. P. 88. Somnus bonus. Exiguus appetitus. Ex inferiore vulnere multum puris delabitur. Vesp. P. 88. T. 38,3. Dolores in genu maxime leniti. XXVI. I. M. P. 100. T. 37,1. V. P. 100. T. 37,9. Magna remissio. Acres in genu dolores renovati. Appetitus continuo modicus. XXVII. I. M. P. 97. T. 37,9. Somnus, etsi Morph. acet. gr. $^1/_4$ datum est, inquietus. Vehementes dolores. Vesp. P. 104. T. 38. XXVIII. I. M. P. 70. T. 37,5.

Vesp. P. 84. T. 38,9. Aegrotus de doloribus queri perseverat, qui haud sico an vinculo, quoties aegrotus in lavacro constituebatur et inde levabatur, laxato orti sint. XXIX. I. M. P. 100. Appetitus redit. Vesp. P. 108. T. 39,1. XXX. I. P. 92. T. 38,2. Vinculo deposito aegrota extremitas hodie in lamina Bonnetica statuitur. Catheter elasticus omittitur. Tria vulnera multum boni puris secernunt. Decubitus ossis sacri in marginibus languidas granulationes habet, tum adhuc fundus eschara tectus est. Vires aegroti in dies magis collabuntur. Cutis color pallidissimus, facies evanida. XXXI. I. M. P. 96. T. 37,9. Nocte multum deliravit. Vesp. P. 112. T. 39,1. Appetitus bonus, tamen vehementes dolores queritur. In aegrota extremitate magnum oedema. I. II. P. 108. Vesp. P. 92. T. 39,4. II. II. M. P. 92. V. P. 96. T. 38,7. Crebrae aegroti quaerelae de dolore in dextro crure infra genu. Appetitus sufficiens. III. II. M. P. 88. T. 37,8. Magni dolores in crure et in genu. Vesp. In sinistro crure magnum oedema ortum. In urina investigata nihil albuminis invenitur. Appetitus mediocris. IV. II. V. P. 108. T. 40,1. In osse dextro magnus dolor. Appetitus paullo melior. V. II. M. P. 104. T. 38,1. Vesp. P. 108. T. 40,1. Dolor in crure dextro non mitigatus. Oedema extremitatem totam sinistram occupavit, nec non scrotum oedemate infectum. Et sinistri genu articulus multum puris continens fluctuat. VI. II. M. P. 92. Modicus somnus. Vehementibus doloribus subinde delirat. Infra dextrum capitulum fibulae tumor fluctuans, qui incisione digitum longa finditur, unde multum boni puris efluit. Digitus per vulnus incisionis in magnum cavum infra superiorem tibiae finem penetrat, tamen ad articuli cavernam pervenire non potest. Recens vinculum fenestratum imponitur. Vesp. P. 104. T. 39,9. VII. II. M. P. 88. Somnus bonus. Lenes dolores. Vesp. P. 96. T. 40,2. VIII. II. M. P. 100. Biduo nulla exoneratio. Vesp. P. 104. T. 40,2. Exoneratio alvi. Appetitus ad-

huc tenuis. Summa debilitas. Dolores leves. IX. II. M. P. 108. Somnus deliriis inquietissimus. Vesp. P. 92. T. 39,6. X. II. M. P. 100. T. 38,3. Hodie nec opinato omne aegroti corpus variolae pustulis opertum erat. (Variolae tum et in nosocomio et in urbe nostra saepius observabantur.) Prioribus diebus dolores ossis sacri et capitis non conquestus erat. Pustularum copia tantum modica. In separatum cubiculum transfertur. Vesp. P. 100. T. 39. Appetitus levis Generalis valetudo tolerabilis. XI. II. M. P. 116. T. 39,1. Appetitus satis bonus. Levis dolor. Vesp. P. 92. T. 38,8. Oedema in sinistro crure summopere crevit, nec non in scroto. XII. II. V. P. 92. T. 83,8. XIII. II. V. P. 108. T. 39,8. Hodie recens vinculum impositum, quum prius non jam integrum esset. Omnia vulnera plurimum puris pallidissimi sed optimi ejicere perseverant. Decubitus in osse sacro nunc magnitudinem nummi thaleri duplicis assecutus et totus languidis granulationibus tectus est. XIV. II. M. P. 92. T. 37,5. Vesp. P. 104. T. 38,8. Ad oedema cruris sinistri reprimendum fascia gummea imponitur texta. XV. II. M. P. 92. Variolae pustulae plerumque siccae. Vesp. P. 92. T. 38,6. Interdum dolor in dextro genu. Nonnullus etiam capitis. Appetitus sufficit. XVI. II. M. P. 92. Dolor colicus, nulla autem diarrhoea. Defaecatio regularis. Vesp. P. 92. T. 39,1. Modicus appetitus. Vulnus in superiore femore clausum est. Ex aliis continuo multum boni puris pallentis emanat. XVII. II. M. P. 96. Vesp. 84. T. 38,4. Compressio in sinistro crure adhibita oedema paullum repressit. Etiam scrotum minus oedematosum. In dextro crure idem fere quod initio oedema remansit. Appetitus satis bonus. XVIII. II. V. P. 96. Dolores colici. Duae defaecationes. XIX. II. V. P. 96. T. 39,2. Hodie balneo non usus est. (A primo initio quotidie aegrotus in balneo versatus erat, excepto eo tempore, quo variolae pustulis laborabat. Nunc balneum omissum, quo oedema facilius resorberetur.) Oedema sinistrae inferioris extremitatis

maximum factum est. Ante omnia prope articulum genu magnus tumor, ibidemque redundatione in capsulam articuli genu auctus. Appetitus exiguus. Maxima lassitudo. In regione laeva inguinali pressione dolor acer excitatur. Involucrum fasciae gummeae, biduo omissum, redintegratur. XX. II. V. P. 108. T. 39,1. Unius horae balneum. Exiguus appetitus. XXI. II. V. P. 100. T. 39. In laevo quidem crure oedema expressu minutum, sed nunc etiam integumenta abdominis oedematosa sunt, et scrotum in altius intumuit. Et in dextero femore oedema amplificatum. XXII. II. V. P. 92. T. 39. Magno faciei pituitarumque membranarum pallore et oedematis summus hydraemiae gradus manifestatur. Albumen in urina nullum. Ab hodierno die aegrotus praeter mixturam ferrugineam sumit Decoct. cortic. Chin. reg. ex semiuncia ℥vj. alternum. XXIII. II. V. P 88. T, 38,3. Pustulae cunitae siccatae multifariam jam deciderunt. XXIV. II. V. P. 88. T. 38,3. Balnea ab hodierno die regulariter adhibentur, singulis tamen II. ℔ salis immiscentur. XXV. II. V. P. 88. T. 38. Appetitus semper exiguus. XXVI. V. P. 80. T. 38,2. XXVII. II. V. P. 96. T. 38,4. Hodie oedema et in utraque inferiore extremitate et in integumentis abdominis et scroto maxime decrevit. Nec non inundatio in capsulam laevi articuli genu minuta est. Appetitus sufficit. XVIII. II. V. P. 100. T. 38,9. Bona valetudo I. III. P. 92. T. 38,8. II. III. P. 96. T. 38,7. Postquam aegrotus ultimis diebus optime valuit, oedema decrevit, hodie dolores in articulo genu redintegrantur. III. III. P. 104. T. 38,7. IV. III. P. 120. T. 38,5. De doloribus in genu conqueri non desinit. Ceterum bona valetudo. VIII. III. P. 96. T. 38,9. Hodie vinculo gypseo detracto, extremitas aegrota in lamina Bonnetica collocatur. Ex vulnere, morsu suis illato, specillo dilatato multum puris diluti profluit. Infra hoc vulnus locus fluctuans videtur, unde incisione unum a vulnere digitum facta item multum puris emanat. VI. III. P. 108. T. 38,9. Aegrotus in

lamina Bonnetica stratus tenetur, tempore VI. vel VII. horarum quotidianorum balneorum excepto. Balneo continuo II. ℔ salis immiscentur. Vulneribus duarum incisionum, itemque in femoris exteriore parte et infra capitulum fibulae sitis multum puris secernitur. IX. III. P. 100. T. 38,4. Oedema perpetuo decrescit, appetitus et vires aegroti augescunt. Ceterum nihil mutatum. XI. III. P. 108. T. 39,3. Dolores colici et diarrhoea. ℞ Tinct. Opii simpl. gtt. XXV. — XII. III. P. 106. T. 39. Diarrhoea permanet. Tantundem Tincturae Opii praebetur. XIII. III. P. 96. T. 38,8. Nulla diarrhoea, eadem quae antea valetudo. XV. III. P. 96. T. 38,2. Balneum duobus superioribus diebus, ex voluntate aegroti omissum hodie repetitur. Purulentatio vulnerum duarum incisionum imprimis superioris minima, item vulneris morsu effecti; contra utrumque vulnus cruris multum puris emittit. XVIII. III. Mixtura ferruginea et decoctum Chinae continuantur. Oedema et femoris et cruris nondum totum abiit. Aegrotus adhuc pallidissimus aspectu. In calce exiguus, complures lineas profundus decubitus. Calx ita statuitur, ut pressione libera sit. Decubitus ossis sacri sanari coepit. XXIII. III. Aegrotus a die XV. h. m. tertio quoque vel quarto die balneo utitur, cui duo ℔ Chlornatrii admiscentur. Ceterum in lamina Bonnetica remanet. Purulentatio, quae antea. XXVI. III. Diarrhoea. ℞ Tinct. Opii simpl. gtt. XX. XXIX. III. Diarrhoea permanens gtt. XXIII. Tinct. Op. simpl. adhibitis sistitur. Duo vulnera femoris et cruris prorsus conclusa. Tantum vulnera incisionum et morsus satis multum puris ejiciunt. IV. IV. Hodie cuncta vulnera se clauserunt. Perexiguum femoris et crursis oedema. Color faciei pallidissimus. Virium incrementum. X. IV. Vulnus in exteriore femore semet ipsum rursus patefecit et pallulum puris bonae consistentiae mittit. Incisionis vulnus infra capitulum fibulae, quum fluctuatio ibi spectetur, aperitur. Paullum boni puris secernitur. XVIII.

IV. Oedematum et cruris et femoris nihil reliquum. Restat tamen pallidus oris color appetitu eximio. Vires crescunt. Vulnera dextri femoris cicatrices duxerunt, praeter vulnus incisionis digitum a morsus vulnere distans. Inde pressu magna puris copia secernitur. Aegrotus os sine ope vel dolore tollere potest. Decubitus calcis et ossis sacri sanati sunt. Lamina Bonnetica et pulvinus gummeus, nihil jam efficaces, deponuntur. Vulnus, quod unicum patet, siccis linteis carptis involvitur. XXVI. IV. Hodie primum strato relicto, aegrotum fulcris per cubiculum ambulantem summa debilitas ad lectum statim redire cogit. XXIX. IV.

Mensura

| | aegroti ossis: | salvi ossis: |
|---|---|---|
| ex transverso patellae | $30^1/_2$ Ctm. | 34 Ctm. |
| supra summam patellam | 29 Ctm. | 32 Ctm. |
| infra infimam patellam | 31 Ctm. | 32 Ctm. |

Vulnus morsu effectum, quod ultimis diebus paullum tantum boni puris ejecit, clausum est. Circum articulum nullus rubor, nulla temperatura aucta, nullus in eo dolor. Color quidem oris adhuc satis pallidus. Continuo appetitus bonus et praeclara valetudo. Mobilitas in articulo exigua remansit. Arthrophlogosis igitur genu, quae variolae pustulis etiam per duas hebdomades durantibus complicata, aegrotum in summum vitae discrimen vocavit, ad finem perducta videtur. Idcirco vir brevi prorsus sanatus dimittetur.

## Historia morbi quarta.

Joannes Hannemann, operarius, triginta quattuor annorum, die XXII. m. Decembr. a. MDCCCLX in nosocomium receptus est. Aegrotus ad diem XXV m. Novembr. h. anni nullo morbo implicitus fuerat. Eo die mane perticam, unde palae scapus fieret, acuturus, superiori exteriori patellae margini vulnus digitum longum intulit. Aegrotus, quum se violabat, in platea genubus insidebat, ita ut lignum descriptum ante se constitutum superne

scamno pabulari acclinatum haberet. Securis semel satis vehementer contorta lapsa est plagamque per duplices braccas genu inflixit. Vir statim amens humi praeceps procubuit. Securis autem manibus, inscio illo, elapsa itaque ex vulnere amota erat. Decem temporis momentis interjectis vinculum ex surculo, araneo rasoque et suffumigato lardo compositum inditum est. Post decem demum horas medicus accessitus advenit, qui vulnere purgato duabusque suturis institutis, aegrotum ad id in proprinquitate fornacis versatum in lectum asportandum curavit. Aegrotus minimam sanguinis copiam ex vulneribus emanasse memorat, nullum vero liquorem synoviae similem. Haud ita multo post, quam vulnere affectus est, frigore vehementer quassabatur, quod sub vesperum demum, quum aegrotus in lecto cubabat, pedetentim discessit. Praeter suturas factas medicus frigida cataplasmata praecepit. Quae per triduum imposita tepidis cataplasmatis mutata sunt, eaqne per spatium octo dierum polenta avenacea, deinde per triduum semine lini posteaque ad diem XXII. mens. Decembr. calida polenta avenacea constabant. — Quum suturae viginti quattuor horas jacuissent, partibus vicinis maxime adstrictis dolorem tam acrem aegrotus passus est, ut suturas removeri juberet. Quoties, alvum exoneraturus — id quod semel quotidie fiebat — surrexerat, liquor coloris lactei sanguineus effluxit. Tertio post vulnerationem die duodecim hirudines prope vulnus applicatae sunt, sexto specillum vulneri admotum est. Quarto decimo profluvium puris sensim substiterat, fines genu summopere propagati, dolores in genu maxime aucti erant. Tum medicus ab interiore genu latere in media patella incisuram digitum longam fecit, quo ex ostio pus admixto sanguine exhaustum scutulam fere complevit. Tribus hebdomadibus circumactis iterum utrique vulneri specillum admotum est. Prima hebdomade aegrotus purgantia remedia: magnesiam sulfuricam et oleum Ricini sumsit.

A die vulnerationis ad praesens tempus quotidie motibus febriculosis correptus est. Appetitus minimus, sitis maxima, dolores capitis continui erant, admixto ibidem fervore, quem madidis cataplasmatis frigidis repellere conabatur. Complures hebdomades medicinam aciduli saporis accepit. Tertia post casum hebdomade unguentum vulneribus illinendum praeceptum est. Quae ut in dies magis cicatrices ducere coeperant, ita genu volumen, doloris magnitudo creverant. Magnum oedema per totum crus ortum erat, donec die XXI. h. m. vulnus interioris ossis planitiei illatum sine ullis causis conspicuis mani festisve sese patefecit, unde quadrans puris admixto sanguine sponte profluxit. Die XXII. ejusdem m. aegrotus se in nosocomium recipiendum curavit.

Aegrotus est mediocri statura, bene nutritus florentique faciei colore. In exteriore superiore patellae parte vulnus marginibus crassis, luxuriosis granulationibus opertum, unum digitum longum invenitur. Quod vulnus desuper intusque inferiorem exterioremque partem versus dirigitur. In interiore patellae margine item vulnus ejusdem longitudinis granulationibusque tectum ad verticem spectat. Articuli circuitus maxime extentus: recessus superior semipedem a superiore patellae margine sursum versus pertinet. Totum recessum fluctuatio facile conspicua occupavit. Vel minima tactione acerrimi dolores commoventur. Aegrotus genu modice flexum paulloque exterius rotatum tenet. Ex utroque genu vulnere, imprimis articulo presso, multum puris effluit. Oedema cutis in crure, pede, articulo genu. Glandulae inguinales modice intumuerunt, dolores non efficiunt. P. 84.

XXIII. XII. Primo statim adventu vinculum gypseum fenestratum indutum et Morph. acet. gr. $^1/_4$ receptum est. P. 96. Bonus somnus. Situ tranquillo nullus in genu dolor. Satis larga puris secretio. Pus bonum est. Vesp. P. 104. T. 39,7. Majores in articulo dolores. Vulnus cujus ex exteriore et superiore latere pus satis prove-

nire nequeat, per „Bisturi“, quod nomen a Pott duxit, dilatatur. XXIV. XII. M. P. 104. T. 39. Patella superne pressa ex vulnere securi injecto multum puris secernitur. Appetitus exiguus, dolores leves. Vesp. P. 100. T. 39,6. XXV. XII. M. P. 92. T. 38,4. Vesp. P. 88. T. 39,2. Nulli in articulo genu dolores. Valetudo tolerabilis, sed appetitus tenuis. XXVI. XII. M. P. 88. T. 37,5. Vesp. P. 100. T. 39. Conqueritur de dolore in regione articuli pedis ad dextram. Puris secretio decrescit, articuli genu tumor crescit. XXVII. XII. M. P. 84. T. 38,1. Vesp. P. 96. T. 38,3. Appetitus mediocris. XXVIII. XII. M. P. 96. T. 37,8. Vesp. P. 108. T. 38,5. Vehementes in genu dolores. XXIX. XII. M. P. 92. Vesp. P. 104. T. 38,4. Pus ex articulo genu affatim fluit: ejusdem tumor minuitur. Dolores remiserunt. Appetitus tolerabilis. Primum balneum. XXX. XII. M. P. 96. T. 39,2. Balneum. Vesp. P. 100. T. 39,1. Valetudo bona. Appetitus in dies melior fit. Aegrotus florenti faciei colore neque collapsus est, tamen lassitudinem et remissionem post balneum imprimis queritur. XXXI. XII. P. 100. T. 39,1.

MDCCCLXI. I. I. M. P. 92. T. 37,9. Dolores in regione ossis sacri, ubi decubitus parvi voluminis exiguaeque profunditatis, crustis opertus reperitur. Vesp. P. 108. T. 39,4. II. I. M. P. (in balneo) 120. Appetitus excitatus. Valetudo bona. Vesp. P. 108. T. 39,1. III. I. Vesp. P. 100. T. 39,4. IV. I. V. P. 88. T. 39,3. Modo plus modo minus puris secernitur. A tertio quoque die ad quartum majore puris copia secreta tumor paullum deminui solet. V. I. V. P. 112. T. 38,4. Appetitus bonus. VI. I. V. P. 100. T. 38,2. VIII. I. V. P. 104. T. 39,1. Dolores in loco decubitus. IX. I. V. P. 108. T. 39,4. Valetudo generalis continuo bona. Appetitus excitatus ita, ut praeter „primam formam“ aliquid extraordinarie praeceptum consumat. Vinculum lavacris continuis defectum capsula gypsea recenti superimposita resarcitur. Decubitus auctus quidem est, sed non in profundius pro-

cessit. X. I. V. P. 100. T. 39,1. XI. I. Vesp. P. 112. T. 39,2. XII. I. M. P. 120. V. P. 116. T. 39. Facie aegrotus postremo tempore est subpallida, genae tamen, paullum collapsae, rubore circumscriptae sunt. XIII. I. M. P. (in balneo) 128. Bonus somnus itemque bona valetudo generalis. Vesp. P. 120. T. 39,7. Propter magnos in genu dolores Morph. acet. gr. 1/4. XIV. I. M. P. 120. Dolores abierunt. Eadem quae prius puris secretio. Maximum granulationum oedema in vulneribus. Vesp. P. 108. T. 39,2. Appetitus perpetuo bonus. XV. I. M. P. 112. V. P. 112. T. 38,9. XVI. I. V. P. 104. T. 49,1. Super vinculum gypseum oedema spectatur. Appetitu bono defectio virium manifesta est. XVII. I. M. P. 136. V. P. 100. T. 39,5. Articulus genu magnopere intumuit, ut inguina ex fenestra vinculi gypsei promineant. Ex utroque vulnere paullulum puris exstillat. Dolores in articulo genu vehementes. Vinculum gypseum dissecatur et explicatur. XVIII. I. M. P. 148. Acres in genu dolores nondum extincti sunt. Pristinum vinculum gypseum deponitur. Multum boni puris regione articuli genu compressa exhauritur. Pollex sine ullo negotio per vulnus securi ictum in articulum duos digitos penetrat nec non in cavernam pervenit, quae a priore vulnere ad vulnus incissione perfectum porrigitur. In imo vulnere granulationes ubique contrectantur. Recens vinculum gypseum inducitur. V. P. 104. T. 38,3. Magnus in osse sacro dolor, minor in articulo genu. XIX. I. M. P. 104. Bonus somnus V. P. 124. T. 40,2. Dolores in osse sacro et genu accerrimi. Appetitus satis bonus. Multum sitis ac fervoris. Accuratiore investigatione instituta conspiciuntur: super os sacrum decubitus thalerum magnus, in quo nigra eschara residet, quae per totam cutem pertinere videtur. Minores defectus in utraque clune, superficialibus crustis operti, ejusdemque modi substantiae detrimenta supra et infra os sacrum. XX. I. M. P. 112. Appetitus satis bonus. Dolores mitigati. V. P. 112. T. 39,5. XXI. I.

M. P. 116. V. P. 108. T. 38,5. Bonus appetitus. Ardor in loco decubitus. Nullus in genu dolor. Decubitus, antea emplastr. Ceruss. obligatus, jam fomento involvitur. XXII. I. M. P. 132. V. P. 108. T. 39. XXIII. I. M. P. 112. V. P. 100. T. 38,7.

Hodie atque heri adaucti in articulo genu dolores, parvo puris profluvio. XXIV. I. M. P. 120. Dolores leviores. Secretio puris major. V. P. 112. T. 38. XXV. I. P. 108. Majores in genu dolores minore appetitu. V. P. 104. T. 37,8. XXVI. I. P. 112. Appetitus exiguus. Macies aegroti crescit. V. P. 108. T. 38,3. Dolores in genu et regione ossis sacri. XXVII. I. M. P. 104. Appetitus tenuis. V. P. 116. T. 38,2. Vehementiores dolores in genu redintegrati, modica puris boni secretio. XXVIII. I. M. P. 100. Appetitus augetur. V. P. 104. Dolores in articulo desunt. XXIX. I. P. 108. V. P. 108. T. 38,7. Bonus appetitus. XXX. I. M. P. 108. V. P. 104. T. 38,4. Bona valetudo. XXXI. M. P. 116. V. P. 92. T. 39. Idem qui antea status.

I. II. M. P. 116. V. P. 108. T. 38,8. Iterum acriores in articulo dolores oriuntur. Pus satis effluit. Quotidie mane, filorum linteorum utriusque vulneris, quantum manu capi potest, pure madefactum reperitur. Attamen nunc quoque majus puris profluvium tertio quoque vel quarto die exsistere solet. II. II. M. P. 116. V. P. 100. T. 38,9. Bonus appetitus. III. II. M. P. 108. V. P. 100. T. 39,1. IV. II. M. P. 108. — V. II. M. P. 104. V. P. 92. T. 38,2. Et in inferiore sinistri cruris latere oedema videtur, ante omnia in regione articulorum genu et pedis. Bene se habuit aegrotus ultimis diebus continuis. VI. II. M. P. 104. V. P. 100. VII. II. M. P. 96. V. P. 84. T. 37,9. VIII. II. M. P. 96. V. 84. Hodie doloribus levibus colicis bis alvum exoneravit. IX. II. M. P. 92. V. 100. T. 38,5. X. II. M. P. 100. V. 100. T. 38,5. Valetudine perpetua bona utitur. Appetitus maxime excitatus. Haud minor puris secretio. Vires postremo paullulum creverunt. XI. II.

V. P. 104. T. 38,1. Magnum oedema in dextro femore. Nec non oedema in sinistro magnopere extentum est. Albumen tamen in urina abest. XII. II. V. P. 108. T. 38,3. XIII. II. V. P. 112. T. 38,5. Hodie vinculum gypseum deponitur et renovatur. Per utrumque vulnus, alto oedematosarum granulationum toro circumdatum, fieri potest, ut digitus penetret et in magnam cavernam granulationibus obductam progrediatur. Infra crustas decubitus plerumque solutas granulationes apparent. Articulus genu inquisitus vehementes aegroto dolores non commovet. XIV. II. P. 96. V. 104. T. 38,4. Jam plus puris, vice versa, ex vulnere incisionis quam ex vulnere securis fluit. XV. II. P. 128. V. P. 100. T. 38,6. Diarrhoea. ℞ Tinct. Opii simpl. gtt. XXV. — XVI. II. V. P. 100. T. 38,9. Appetitus bonus continuus. Bis defaecavit: faeces fuerunt solida consistentia. Propter durantes dolores colicos iterum datae XXV. gtt. Tinct. Opii simpl. XVII. II. M. P. 104. V. P. 100. T. 39. Bis alvum exoneravit doloribus colicis. ℞ Tinct. Opii simpl. gtt. XXV. — XVIII. V. P. 96. T. 38,6. XIX. II. V. P. 96. T. 38,2. Appetitu bono durante satis puris secernitur. XX. II. V. P. 96. T. 38,7. Diarrhoea: ℞ Tinct. Op. simpl. gtt. XXV. — XXI. II. V. P. 80. T. 38,2. Multum puris. XXII. II. V. P. 100. T. 38. XXIII. II. V. P. 100. XXIV. II. V. P. 100. T. 38,6. XXV. II. V. P. 92. T. 38,7. Bona valetudo. Vulnus securis cicatrice obductum est, ex altero aliquantum puris profluere non desinit. XXVI. II. V. P. 126. T. 39,5. XXVII. II. V. P. 104. T. 39,5. XXVIII. II. V. P. 100. T. 39,5. — I. III. V. P. 116. T. 39,9. II. III. P. 116. T. 40,1. Continua bona valetudo. III. III. V. P. 112. T. 40. Ultimis diebus aegrotus post balneum diuturniore frigore correptus est. Bona autem valetudo postea penitus restituta est. V. P. 100. T. 39,4. V. III. V. P. 104. T. 39,5. Vinculo gypseo detracto ad infimum patellae marginem in anteriore superiore cruris parte magnus tumor fluctuans apparet, eoque patefacto circa ℥viij boni puris hauritur.

A caverna abscessus ad articulum recta pervenire nequit. Quum haemorrhagia satis vehemens exstiterit, vulnus incisionis linteo carpto liquore ferri sesquichlorati madefacto obstruitur. Nec non vulnus ad interiorem patellae partem, quo facilius pus effluere possit, deorsum dilatatur itemque haemorrhagia liquore ferri sesquichlorati adhibito desinit. Quo facto aegrotus in lamina collocatus et frigida cataplasmata vulneri incisionis imponere jussus est. VI. III. V. P. 120. T. 38,4. VII. III. V. P. 100. T. 38,8. VIII. III. V. P. 100. T. 38,8. IX. III. V. P. 104. T. 38,6. Post meridiem leve frigus aegrotum cepit. Ceterum bona valetudo. Vires in dies magis convalescunt. Genae jam haud ita collapsae sunt adspectu. Facies est florenti rubore. Oedema sinistri cruris totum abiit, itemque dexteri ad minimum reductum est. X. III. V. P. 104. T. 39,1. XI. III. V. P. 108. T. 38,7. XII. III. V. P. 104. T. 39,5. XIII. III. V. P. 104. XIV. III. V. P. 104. T. 39,1. XV. III. V. P. 120. T. 39,7. Valetudo continuo bona. Purulentatio adhuc satis magna. XVI. III. V. P. 108. T. 39. Diarrhoea. Idcirco ℞ Tinct. Op. simpl. gtt. XX. Appetitus eximius. XVII. III. V. P. 96. T. 39,4. XVIII. III. V. P. 120. T. 39. In inferiore dimidio exterioris femoris lateris profunda spectatur fluctuatio, quae pressa dolores excitat. Ibidem incisura $1^1/_2$'' longa fit, unde multum puris secernitur. Sunt igitur nunc quattuor vulnera, quae cuncta aliquantum puris ejiciunt: primum infra patellam, alterum supra patellam (id quod ab initio aderat), tertium in interiore articuli genu parte, ultimum in exteriore parte femoris inferioris situm est. XXIII. III. Valetudo bona perseverat, purulentatio illorum vulnerum haud minus. Balnea quotidiana non omittuntur.

XXX. III. Vulnus securi inflictum alterumque in interiore articuli parte clausa sunt. Exterioris femoris ex vulnere pus affatim emanat. Vulnus infra patellam clausum est, ibidem fluctuatio et dolor ostenduntur. Quapropter specillo inducto magna puris copia admixto

sanguine ejicitur. II. IV. Quotidie balneo usus est, quod abhinc omittitur. Ex utroque solum patellae inferioris et exterioris femoris vulnere pus profluit. Continua bona valetudo.

XVIII. IV. Quum extremitas inferior sinistra tum regio articuli genu lato tumore affectae sunt. Magnum oedema a pede ad medium femur pertinet. Vulnus incisionis in exteriore femore plurimum puris edit, imprimis exteriore inferiore femoris dimidio presso. Minus vulnere infra patellam sito profertur. Sine ullo auxilio vel dolore os ab aegroto levatur. Anyklosis in articulo genu exstitit. Patella minime tantum ad latera versus flecti potest. Decubitus ossis sacri sanatus est. Lamina Bonnetica, quum nihil jam proficiat, tollitur. Aegrotus, qui optime valet, hodie primum lecto surgit.

XXIV. IV. Hodie primum fulcris nixus incedere conabatur, quos conatus magna infirmitas continuari vetuit. Crus et genu ad medium femur involucro circumdantur, et os fascia gummea vehementer comprimitur. XXVI, IV. Pinctura compressiva volumen ossis paullulum deminuit. Ex vulneribus duobus, quae supra commemoravit puris profluvium nondum substitit.

XXIX. IV.

Mensura:

| | aegroti ossis: | salvi ossis: |
|---|---|---|
| ex transverso patellae | 40 Ctm. | 35 Ctm. |
| infra interiorem patellae marginem | 36 Ctm. | 30 Ctm. |
| supra superiorem patellae marginem | 40 Ctm. | 34 Ctm. |

Ankylosis in vulnerato articulo perfecta est. In universum aegrotus optime valet. Faciei colore florenti, appetitu excitato, jam a mense superiore motus omnes febriculosi decesserunt. Dolor in articulo genu ne levanda quidem extremitate oritur. A vicinitate articuli rubor majorqne temperatura jam absunt. In crure ossis violati

oedema perexiguum tantum adest. Quum ex duobus vulneribus in fundo luxuriosis granulationibus tectis in anteriore femoris facie paullum modo boni puris secernatur, haud dubitari potest, quin brevi purulentatio articuli finiatur vulneraque penitus cicatricibus obducantur. Quod quum cursus morbi ad finem vertisse videatur, aegrotus mox prorsus sanatus dimitti poterit.

Respicientibus jam nobis et cum animo deliberantibus tractationem, cujus usui in peculiari arthrophlogoseos genu traumaticae genere tam felices eventus debentur, id procul dubio videtur esse, eandem, in sauciatum articulum ipsum recta via vim exercentem, localem, ad omnem aegroti naturam cunctamque valetudinem pertinentem, generalem fuisse, nec non remedia praecepta esse, quae et recta ad laesum articulum et indirecta in generalem valetudinem multum aequaliter valerent. Directam in saucium articulum efficaciam habuerunt: sanguinis plurimi emissio multis effecta hirudinibus, quae, antequam inflammatio articuli genu ad purulentationem verterat, ad coërcendam inflammationem et quoquo versus discuciendam applicabantur, frigida cataplasmata bullaeque glacie impletae: situs aegroti articuli post primum statim purulentationis initium vinculo gypseo stabilitus: punctio articuli, quoties aliquantum puris sese coacervaverat: patefactio abscessuum periarticularium, situs aegrotae extremitatis horizontalis. His omnibus rebus fieri non potuisse in aperto est, quin vires aegroti summopere debilitarentur et absumerentur. Itaque diaeta corroborans adhibebatur afferendis validis et nutrimentis et potulentis, ad emendandam sanguinis consistentiam Ferrum et China praebebantur, ad dolores repellendos somnumque adaugendum quum alia tum narcotica Opium et Morphium praecipiebantur, crebrae diarrhoeae intercurrentes accurate et observatae et tractatae tinctura Opii simplicis vel liquore Ferri sesquichlorati sisteban-

tur, aegroti corpus in pulvino gummeo stratum tenebatur, decubitibus subinde utique orientibus, ex omni parte maxime noxiis summa cura tribuebatur. Ante omnia vero usum vinculi gypsei et balnei (Vollbad) collaudandum existimo. Tantopere propria experientia utilitas illorum remediorum graveque momentum ad cursum morbi his in casibus explorata mihi sunt, ut, non quod opiniones praejudicatas aut ab aliis mihi invito suggestas hoc enuntiare in animo habeam vel falso verove dijudicando fines humanae cognitiones et experientiae egredi audeam, ex intimo pectore pro certo affirmem, casus memoratos non tam prospere cessuros fuisse, nisi vinculum gypseum ac balneum adhibita essent. Quaecunque enim munera vinctura bona et utili administrata volumus, iis vinculum gypseum in nostris casibus fungebatur, quum, facile ad comparandum et imponendum, aegrotum nulla pressione molestaret, fenestris in loco vulneris instructis aegrotum articulum quoquo tempore observari et tractari sineret, articulum violatum prorsus stabiliret et ab aegroto sine ulla molestia perferretur. Tribus demum hebdomadibus interjectis, quum cujuslibet modi rebus noxiis patuisset, defectum et attritum „forfice Seutina“, cultro laminaque serrae adhibitis nullo negotio removeri poterat. Praeterea autem aegrotus facile in balneum transportabatur, id quod, haud scio an, pari utilitate fuerit ac perfecta articuli stabilitas. Balneum contra tepidum circiter VI horis quotidie usitatum, articulum purulentum a noxia aëris vi muniebat, profluvium puris ex vulnere et vinculo adaugebat, formationi simul boni puris et granulationum favebat, quum operosum fomentorum usum compensaret. Ad id plus secretorum et excrementorum exhauriebatur, materiae permutatio accelerabatur, appetitus excitabatur. Praeterea sine ullo aegroti labore in labro alvus exonerari poterat, quod commodum ab eo satis aestimari solet, quem, quot molestiae aliis apparatibus aegroto inferantur,

experientia docuit. Balneum autem, quod aegrotis primum multas difficultates et aerumnas continere videtur, mox ab iis, utilitate perspecta, adamatur, quum in eo paulisper quotidie ex molesto situ quieto expediti corpus movere et flectere possint. Itaque semper observabatur, ut aegroti quotidie mane libentibus animis se ad labra aufferri paterentur.

# VITA.

Ego Jacobus Roberz, fidei addictus sum catholicae, natus in vico Rhenano Esch, die XXXI. m. Decembris a. h. s. trigesimi tertii patre Martino Josepho, matre Gertrudi, e gente Radermacher, quos adhuc superstites omni, qua decet pietate veneror. Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium Monasterii ad Eifliam, quod tum Ill. Katzfey directore florebat, per annos duos et dimidium frequentavi. Tum per annos tres et dimidium in gymnasio Monasteriensi litteris operam dedi et auctumno anni MDCCCLV maturitatis testimonium nactus ad almam universitatem Rhenanam me contuli, ibique à rectore Magnifico Ill. Pluecker in numerum civium academicorum receptus, facultati philosophicae apud Ill. Knoodt decanum adscriptus sum. Post duo semestria Monasterium Guestphalicum profectus, ibi Ill. Deyks rectore terum per duo semestria literis philosophicis studui. Auctumno anni MDCCCLVII almam hanc Gryphiae literarum sedem petivi atque a rectore Ill. Bardeleben in civium academicorum numerum receptus et apud Ill. Niemeyer, gratiosi medicorum ordinis t. t. decanum nomen rite professus sum.

Per undecim semestria his scholis interfui:

Ill. Knoodt: de logice.

Ill. Clemens: de psychologia.

Ill. Huenefeld: de chemia, de mineralogia, de geognosia atqne geologia.

Ill. de Feilitzsch: de physice experimentali.

Ill. Muenter: de zoologia et botanice.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi.

Exp. Ziemssen: de morbis cutis, de syphilide; dux mihi mihi fuit in exercitationibus practicis diagnostices physicalis.

Cel. Laurer: de arte formulas medicaminum rite concinnandi, de materia medica.

Cel. Eichstedt: de arte obstetricia, de operationibus obstetriciis in phantomate peragendis.

Cel. Grohé: de anatomia pathologica.

Ill. Schultze: de anatomia comparata, de angiologia et neurologia.

Ill. Budge: de osteologia et syndesmologia, de anatomia cerebri, de arte cadavera rite dissecandi, de anatomia microscopica, de physiologia, de embryologia.

Ill. Haeser: de encyclopaedia et methodologia medicinae, de pathologia et therapia generali, de semiotice et diagnostice, de historia medicinae.

Ill. Pernice: de operationibus obstetriciis; idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.

Ill. Niemeyer: de pathologia et therapia speciali; idem mihi dux fuit in clinico medico et clinico psychiatrico.

Ill. Bardeleben: de chirurgia, de akiurgia, de fracturis et luxationibus, de ophthalmiatrice; idem mihi dux fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis atque in clinico chiurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Ruehle dux mihi fuit in clinico medico.

Quibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas atque semper gratum animum conservabo.

---

# THESES.

---

**I.**

*Therapiam syphilidis adhuc usitatam non semper efficacem esse experientia docuit.*

**II.**

*Fistula dentalis prorsus sanari non potest, nisi extractione dentis.*

**III.**

*Vulneris venaesectione effecti nunquam non a cautiori medico cura est gerenda.*